

Q. D. B. V.

No:1025

8

THESES IVRIS ROMANI ATQVE GERMANICI

Q V A S

1795 6

P R A E S I D E

D. GEORGIO STEPHANO
WIESANDIO

PROFESSORE INSTITVTIONVM ORDINARIO
CVRIAEC PROVINCIALIS SCABINATVS
ATQVE COLLEGII IVRECONSVLTO-

RVM ASSESSORE

DIE IV. APRIL. A. S. R. CIC 10 C CLXXV.

H. L. Q. S.

PUBLICA DISCEPΤATIONE TVEBITVR

CHRISTIAN. LVCAS CRANACH

BVDISSA - LVSATVS.



VITEMBERGAE

EX OFFICINA GERDESIANA.



LIBER DE IURE ROMANICO GERMANICO

CAV

ADIEIA

Ius Romanum plus commodi, quam incommodi, attulit Germaniae.

1) **I**ure Romano publice recepto, nationes Germanicae communi legum vinculo arctius inter se fuerunt coniunctae. 2) Cum antea patria nostra in certis saepe iuribus maxime perturbaretur, hoc malum iuris communis usu feliciter sublatum est. 3) Litterae politiores ab eo tempore studiosius fuere cultae, cum legum interpretes ex priscis auctoribus lumen illustrandis iuris Romani placitis petere cogerentur. 4) Viguere in Germania mores quidam barbari, inimicitiae rite indictae et magna saepe crudelitate exercitiae, obligaciones ad depraedationes, certamina singularia idque genus alia. At, iure Romano introducto, priuatae vindictae licentia prudenter sicut coercita. 5) Plurima quoque negotia aequius sicut directa. Consuluntur Augst. a Leyser *dissertationes*, in quibus priscum ius Saxonum cum iure Romano contulit. 6) Nec est, quod tantopere de detrimentis iure Romano in Germaniam illatis querantur. Quae enim genio populorum Teutonicorum prorsus sunt contraria, ea numquam sunt comprobanda. Subtilitates quaedam, licet ingenii acumen ostendat, recte tamen negliguntur, quatenus a naturali simplicitate moribusque antiquis abhorrent, vti discrimina pactorum et contractuum, actionum bonae fidei, arbitrariarum et stricti iuris, pactorum nudorum et non nudorum, et alia. 7) Diffusam esse Romanorum iurisprudentiam, haud inficiamur. Sed legum saepe inopia et breuitas magis nocet, quam prodest, propterea quod iudicium incerto arbitrio salus publica saepenumero prorsus negligatur.

271271 II. 881

Minus recte ius naturae in prooem. I. de iur. natur. dicitur id, quod natura omnia animalia docuit.

Mirifice de hac re inter se dissentient doctissimi interpretes idque agunt maxime, vt honorem *Vlpiani*, qui quidem in *I. i. D. de iustit. et iur.* eandem descriptionem suppeditauit, ab omni iniuria defendant. Plurimi re ipsa consentiunt, verbis

EX OFFICINA GERMANICA

verbis vero discrepant. Concedimus, omnia animalium genera stimulis naturae excitata, nonnulla appetere, alia vero fugere. Sed ideo ius naturale omnibus esse tribendum, negamus, his ducti rationibus. 1) Ipsi naturales stimuli non sunt ipsa iura, sed quaedam commotiones, quibus insita desideria significantur, id quod optime omnium explicavit *Hermann. Samuel. Reimarus* in praestantissimo libro, quem Hamburg. anno 1762. de hoc arguento edidit, cap. 3. §. 42. seqq. 2) Si quis contrariam amplectitur sententiam, iniustam latronibus, furibus, homicidis atque adulteris defensionem parare videtur. 3) Bruta animalia ea parent ratione, quae ad vim legis percipiendam atque ad discrimina licti ac illicit intelligenda, est necessaria. 4) Itaque nec dolus, nec culpa in ea cadit, neque delicta committunt 5) Ipse *Vlpianus* id agnoscit videtur. Negat enim animal, quod sensu, hoc est, ratione humana caret, iniuriam facere. L. 1. §. 3. D. si quadrupes pauper. Adde *Io. Heumanni* exercitar. iur. vniuers. Volum. I. commentar. 1.

III.

Perperam statuitur, iurisprudentiam ab Vlpiano in l. 10. D. de iustit. et iur. ideo dici rerum diuinorum notitiam, quod res diuini iuris tradat.

1) Veteres philosophiam dicebant esse rerum diuinorum atque humanarum notitiam, vti ex *Cicerone de offic.* Libr. 2. cap. 2, satis perspicitur. Hinc *Cicero in libro de orator.* cap. 49. philosophum eum existimat, qui omnium rerum diuinorum atque humanarum vim, naturam, causasque nosse studeat. 2) Si sub rebus diuinis ea intelligentur, quae vulgo iuris diuini dicuntur, ipsa iustitiae descriptio foret minus pulchra, et verba eidem adiecta, iusti atque iniusti scientia, clausulam continerent otiosam. 3) Non omnes res diuini iuris ad iura sacra sunt referendae. Distinctio vulgaris, quod res sacrae olim diis superis, sanctae medioxumis, religiosae inferis fuerint consecratae, idoneo fundamento haud nititur, ideoque ab *Euerard. Otrone in animaduers. ad §. 7. I. de diuis. rer. merito est reiecta. *Marcianus* atque *Vlpianus* in l. 8. et 9. D. de diuis. ver. consentiunt, ea esse sancta, quae quadam sanctione ab iniuria hominum defenduntur. 4) Si in hac definitione res diuinae complectuntur ea, quae olim iuris divini videbantur, consequens est, vt in eadem res humanae exprimant ea, quae sunt iuris humani. At et haec comprehenduntur iusti atque iniusti scientia. 5) Neque assentiri possumus *Christian. Henr. Eckbardo in bermeneutice. iur. Libr. 1 cap. 4. §. 134* vbi rebus diuinis leges diuinis significari statuit. Com mendamus potius ea, quae *Francisc. Duarenus in commentar. ad Digest. ad Titul. de iustit. et iur. cap. 2.* obseruauit.*

Originem dominiorum, bellorum atque commerciorum Hermogenianus in l. 5. D. de iustit. et iur. recte repetit ex iure gentium.

1) Dominia rebus publicis sunt longe antiquiora. Quisquis enim olim rem nullius, possessore et domino vacuam occupauit, animo sibi habendi, is rem sibi fecit propriam ita quidem, ut alios ab eiusdem ysu excludere potuerit. Disserit Mich. Henr. Gribnerus in *iurisprudent. natural. Libr. 1. cap. 6. §. 5.* Sed, quis, quaeſo, sibi persuadeat, rem occupantis non prius effici propriam, quam vniuersum genus humanum in ius occupando acquisitum consenserit? Attulit meliora Christian. Gottl. Schwarzius in *controverſ. iur. natur. et gent. ex historiā Graeca illustrata. Specim. 3. §. 15. seqq.* 2) Bella vti iam antiquissimis temporibus ſaepe fuere commota, ita et hodie solo iure naturali, quo omnes gentes reguntur, ſunt diiudicanda, cum vna gens alterius imperio non fit ſubiecta. Vim vi propulsare atque iniuriam a corpore et bonis prohibere, ipſa docet ratio 3) Commercia reperit necessitas, cum ea, quae vni deabant, alteri ſupereffent, vnde nata eſt res permutandi conſuetudo. Ab hac Paulus in l. 1. D. de contrabend. emt. originem emtionis et venditionis arceſſit. Auxit eadem communis utilitas. 4) Dominia naturali modo acquireti, inque iis contractibus, qui commerciis inſeruiunt, non iuris ciuilis ſubtilitatem, ſed aequitatem potius naturalem intuendam eſſe, permulta leges docent. Vide l. 1. seqq. D. de acquirend. rer. domin. et l. 13. §. 20. D. de action. emt. et vendit.

Praetores asperitatem iuris ciuilis humaniter correxerunt idque utiliter adauerunt.

Quae lis de hac re inter duumviros Heineccium atque Korium patrum memoria oborta fuerit, et tirones ſciunt. Nos vero a partibus ſtamus Korii, qui quidem iuris practorii vindiciis, ipſe famam ſuam ab interitu vindicaffe videtur, licet plura ediderit exquisitae doctrinae monumenta. Nam 1) antiquae leges erant partim nimis breues, partim obſcurae, partim vero aetati, posteriori minus consentaneae, vti de duodecim tabulis Fauorinus apud Gellium Libr. 20. cap. 1. vere iudicauit. Praetores igitur publicae utilitatis cauſa, quae deerant, ſupplevere, alſera correxere, et iura, mutato ſtature ipublicae, prudenter ad ſua tempora accommodauere. 2) Idem maximo studio caverunt, ne quid in fraudem legum admitteretur. Hinc Vlpianus in l. 7. §. 7. D. de paci: ait Praetor, poeta conuenta, que neque dolo malo, neque aduerſus leges, plebiſcita, ſenatus consulta, edita principum, neque, quo fraud cui eorum fuit, faſta erunt, ſeruabo. Adde l. 7. §. 8. D. de poſtuland. et l. 12. §. 4. D. de Public: in
rem

rem act. 3) Quod emancipatis bonorum possessionem dederint, id eorum humanitati tribuitur in §. 9. *I. de hereditat. quae ab intestato.* 4) Quod lapsis et circumscriptis, sive metu, sive calliditate, sive aetate, sive absentia in captionem inciderint, auxilium praestiterint, id *Vlpianus in L. i. D. de in integrum restituere.* maximopere laudat. Neque ex causa publicis legibus contraria concesserunt beneficium restitutionis in integrum. *L. i. D. ex quibus causa. maiores videntur quinque annis.* 5) Communis utilitatis gratia dederunt actionem iis, qui sumtus funeris causa factos, recuperare voluerunt. *L. 12. §. 2. legg. D. de reliquias. et sumbris. funer.* 6) Necesse sunt ducti actionem Paulianam introduxisse videntur *Vlpiano in l. i. D. quae in fraud. creditor.* 7) Possessionem a vi iniusta acquifimis interdictis acriter defenderunt. Cum eorum edicta ab uniuerso populo comprobata publicam auctoritatem obtinuerint, plura addere erit superuacuum.

VI.

Lex 22. C. de negot. gest. nec est corrupta, nec obscura.

- 1) Cornel. van Bynkershoek, cuius merita in Romanam iurisprudentiam gra-
ta mente colimus, in obseruat. *Libr. i. cap. 7.* hanc legem putat librariorum culpa fuisse depravatam, propterea quod non nisi absens, vel ignorantis negotia gerantur, ideoque in negotiorum gestione pactioni locus haud sit. Statuit igitur, *pro pacto*, legendum esse, *facto*. Licit vero hanc conditionem ipsa commendet modestia, eam tamen necessariam esse, negamus.
- 2) Ipsa lex ita est concepta: *negotium gerentes alienum, non inservuenti spe- ciali pacto, casum fortuitum praestare non compelluntur.* Verba, *non inter- veniente speciali pacto*, non ita accipienda sunt, ac si conditionem aliquam significarent, sed in sensu alias visitato ita potius interpretanda, ut rationem declarent, cur negotiorum gestores ad casum praestandum haud obstringantur, quia scilicet pactum speciale in eiusmodi factis non interponitur.
- 3) Poteſt quidem quis ex mandato unius alterius negotia gerere. *L. 28. D. de negot. gest.*
- 4) Sed de hac specie nostra lex non est intelligenda, quia eiusmodi homo tunc duplum agit personam, mandatarii nimurum et negotiorum gestoris, nec ideo casum praestare debet. *L. 23. D. de R. I.*
- 5) Negotiorum gestor casum fortuitum haud subit, nisi negotia periculosa, et quae dominus alias facere non erat solitus, suscepere. *L. 11. et 22. D. de negot. gest.*

VII.

Filius naturalis patri hodie ex Nouell. 89. cap. 12. §. 4. ab intestato non succedit.

- 1) Iustinianus quidem in *Nouella excitata filiis naturalibus sextam hereditatis*

tis paternae partem cum matre partiendam assignat, si pater sine legitimis de-
scendentibus, et coniuge legitima haud relicta, deceperit, ipse tamen hoc com-
modum sub certis tantum conditionibus concessit. Voluit enim, vt concubina
in domo simul cum patre habitauerit, huius quoque in eandem affectio sit sa-
tis certa, vtque quis vnicia contentus concubina, plures sibi haud associauerit,
vti ex §. 5. perspicitur. 2) Ratio huius sanctionis ab antiquis moribus Roma-
norum, qui concubinatum tolerarunt, atque eundem, constante tantum ma-
trimonio, improbarunt, est repetenda. L. 1. seqq. D. de concubin. L. vnic. C. de
concubin. 3) Sed in Germania concubinatus publicis legibus tamquam res mi-
nus honesta interdictus est. *Reformat. imper. polit. de anno 1530. Tit. 33.* et de
anno 1548. Tit. 25. 4) Olim in Germania naturales liberos ab hereditate pa-
terna fuisse exclusos, appareat ex leg. Baiuvarior. Tit. 14. cap. 8. §. 2. Nec teme-
re coniicit *Heineccius in element iur. German. Libr. 2. Tit. 9. §. 228.* idem
apud Francos obtinuisse. In prifica lege *Saxonum Tit. 7.* vbi liberorum tamquam
heredum legitimorum habetur ratio, naturalium quidem nulla prouersus fit mentio.
Nec ius prouinciale *Saxonicum Libr. 1. art. 51.* inter illegitimos certa statut discri-
mina. Omnes potius iure civili et facultate succedendi ab intestato defititos
esse, sancit *Libr. 1. art. 31* et *art. 51.* cum quo ius *Lubecense Libr. 2. Tit. 2. art. 9.*
conspirat. 5) Concedimus quidem, hodie in decretis forensibus saepius natu-
ralibus subuentum fuisse, uti *Io. Henr. de Berger in oeconom. iur. Libr. 2. Tit.*
4. §. 37. not. 7. testatur. At eos quoque interdum repulsam tulisse, ostendunt
eae sententiae, quas *Perillus Frideric. Esaias de Pufendorf in obseruat. iur.*
vniuers. Tom. I. obseruat. 89. et *Tom. II. obseruat. 49.* attulit. Nos igitur moribus
antiquis adhuc standum esse existimamus, nisi consuetudo contraria auitos mores
dudum in exilium egerit.

VIII.

Diuifio delictorum in publica et priuata in Germania haud obtinet.

1) Haec diuifio orta est ex diuerso crimina cum inquirendi, tum vindican-
di modo, olim Romanis visitato. Publica enim crimina a quoquis ex populo
accusari poterant, atque poena publica legibus constituta vindicabantur. L. 1. D.
de public. iudic. §. 1. I. de publ. iudic. Publice quoque criminum quaestiones
fuisse tractatas, satis notum est. L. 2. §. 25. D. de orig. iur. 2) Sed ignorat
Germania hanc distinctionem, propterea quod omne delictum publice et in-
quiratur, et vindicetur. Consulatur *Io. Samuel. Frideric. Boehmer in element.*
iurisprudent. criminal. S. & T. 1. cap. 1. §. 30. seqq. 3) Nec *sancio Carolina*, nec
aliae Germanorum leges de criminibus constitutae, istam diuisionem probant.
Cuius delicta accusare permisum est. Iudex, licet nemo denunciauerit, ea
inquirere debet. Criminum rei non tam poena priuata, quam potius publica
affici-

afficiuntur. 4) *Heineccius* quidem in *element. iur. German.* *Libr. 2. Part. 2.*
Tit. 18. §. 6. seqq. Romani iuris distinctionem inter delicta publica et priuata
 ad fora patria applicat, atque ea, quae antiquitus in comitiis tractabantur,
 hodie vero sollempni iudicio criminali cognoscuntur, publica, cetera vero pri-
 uata appellat. Sed non omnia, quae rite et sollempniter peraguntur, ideo
 sunt publica. Finis primarius, cur poenae irrogentur, is est, vt alii a simili
 facinore deterreantur. Hinc, licet laesum super crimine transegerit, vel da-
 munum sibi datum remiserit, iudici tamen potestas delinquentem puniendi
 manet salua. Quicquid vero hodie in iudicio agitur, publica auctoritate su-
 scipitur.

IX.

In esculentis et potulenis etiam furtum committitur.

1) Furtum animo lucri faciendi committitur, quo verbo omne id, quod no-
 bis aliquod emolumentum afferit, siue id ad necessitatem, siue ad voluptatem
 pertinet, continetur. *L. 7. D. pro soc. L. 25. D. de obligat. et act.* 2) Ea vero,
 quae edimus et bibimus, coniuncta esse cum aliquo emolumento, quis nega-
 re ausit? 3) Etiam is, qui oliuas collectas interceptit, *Vlpiano in l. 27. §. 25. D.*
ad leg. Aquil. furti videtur esse reus. 4) *Iulianus in l. 14. §. 3. D. de condic.*
furtio. vuas surreptas, mustum et vinacia condicione furtiva peti posse, statuit.
 5) Si negamus, panem iam coctum surto proprio auferri, cur non idem de fru-
 mentis tentamus, vix assequimur. Adcas *Bergeri elect. jurisprudent. criminal.*
cap. 2. membr. 1. §. 14. 6) Obstat huic opinioni *sancio Carolina art. 167.* vbi is,
 qui fruges ex agro alieno surripit, poena furti ordinaria dignus iudicatur. Hanc
 vero legem etiam de pomis accipiendam esse, recte obseruauit *scientissimus eius-*
dem interpres Io. Paull. Kressius. 7) Idem appareat ex *articul. praecedent.* qui
 de surto esculentorum ob famis violentiam commisso agit. 8) Neque unquam
 nostri maiores intuitu harum rerum aliquod discrimen obseruarunt, vti manife-
 stum est ex *legibus ab Heineccio in element. iur. German.* *Libr. 2. Tit. 19. §. 44.*
seqq. congestis.

X.

*Verbum Aliuviel in iure Saxonico provinciali Libr. 1. art. 4. significat ostium, cui
 aliquid supereft.*

Vulgo hunc locum de hermaphroditis interpretantur. *Burckhard. Gotth. Stru-*
nus in element. iur. feudal. cap. 9. §. 221. *Heineccius in libro saepius laudato Libr. 2.*
Tit. 9. §. 236. Sed quo minus iis assentiamur, his mouemur rationibus. 1) Ipsa
 naturalis verbi vis exprimit hominem, qui membra habet solito plura, vel am-
 pliora, a quanon est facile recedendum. 2) In priscis legibus hermaphroditorum
 mentio haud iniicitur. 3) Recensentur in loco exercitato variis homines, qui ideo a suc-
 ces-

cessione fuere exclusi, quia ad labores militares rite subeundos haud erant idonei. Conferatur n. F. 36. et ius feudal. Saxon. cap. 2. 4) Hermaphroditi, in quibus sexus masculinus erat potior, munera militaria subire ceterisque militum officiis fungi non impediebantur, ideoque de iis ius Saxonum non est accipendum. Consentit Illustr. Christian. Gottlieb Riccius in spicileg. iur. German. p. 66.

XI.

Etiā is, qui grauior aegrotat, testamentum facere potest.

1) Patet id ex notione testamenti, quod est iusta voluntatis sententia de eo, quod quis post mortem in bonis suis fieri velit. L. 1. D. qui testamenta facere possit. Hanc vero et ii, qui grauissimo morbo laborant, declarare possunt. 2) Accedit l. 3. C. quite-stamenta facere possit. vbi dicitur: *senium quidem aetatis, vel aegritudinem corporis, sinceritatem mentis tenentibus, testamenti factionem certum est non auferre.* Adde l. 2. D. eod. Tit. et l. 27. C. de transact. 3) Non obstat Pauli sententia in sentent. recept. Libr. 3. Tit. 4. §. 11. Ea enim pertinet solum ad hominem eo tempore, quo testamentum conditus est, sanae mentis haud compotem. Idem enim loc. excitat. §. 5. furioso tempore intermissi furoris testamenti factionem permittit. 4) Wisigothi olim ob periculum mortis imminentis iis, qui annum aetatis decimum erant egressi, testamenti faciendi potestatem concessere. L. Wisigothor. Libr. 2. Tit. 5. §. 11. In edito vero regis Theoderici cap. 29 cautum est, vt si quis ob necessitatem mortis vicinae subscriptionem testamento accommodare impediatur, octauus testis, qui eius vices obeat, adhibetur. 5) Non quidem negamus, apud varias nationes Germanicas dunt taxat homines integrae valetudinis mortis causa disponere potuisse, huiusque moris vestigia adhuc superesse, vti Illustr. Io. Henric. Christian. de Selbaw in element. iur. German. Libr. 1. cap. 1. § 204. luculenter ostendit. Sed, vbi eiusmodi mores haud vigent, iure Romano vitimur.

XII.

Sanctio statutorum Budissenium Part. 2. Tit. 10. quae testamenta extra iudicialia declarat irrita, saluti publicae haud est contraria.

1) Libertatem testamenti faciendi olim maximopere fuisse restrictam, satis probavit Illustr. Io. Carol. Henric. Dreyer in dissertat. de inaequal. masculor. et feminar. secundum iura Cimbric. success. §. 3. Videbantur enim aduersari antiquis moribus, quibus hereditates plerumque pactis deferebantur. 2) Licet hodie testamenta facere omnibus sit integrum, sapienter tamen nonnullis legibus cauetur, ne quis priuatum id faciat, id quod a moribus maiorum est repetendum. Ius prouinc. Saxon. Libr. 1. art. 52. 3) Hoc vero modo heredipetarum improbab. fraudes arcentur, suprema iudicia religiosius custodiuntur, periculosa quoque litigia commode vitantur. 4) Consentient mores aliorum locorum. Statut. Zittau. Tit. de testament. Articul. indic. legirim. ciuitat. Luneburgens. in laudati de Pufendorff. obseruat. Tom. 2. in appendic. p. 193. et statut. Rigen. apud eundem Tom. 3. in appendic. p. 242.

Wittenberg, Diss., 1774-76



3

f

5b.



B.I.G.

Black

8	
7	
6	
5	
4	
3	
2	
1	
0	
Inches	
1	
2	
3	
4	
5	
6	
7	
8	
9	
10	
11	
12	
13	
14	
15	
16	
17	
18	
19	
Centimetres	

Farbkarte #13



Q. D. B. V.

No:1025
8

THESES IVRIS ROMANI ATQVE GERMANICI

Q V A S

1775 6

P R A E S I D E

D. G E O R G I O S T E P H A N O
W I E S A N D I O
P R O F E S S O R E I N S T I T U T I O N V M O R D I N A R I O
C V R I A E P R O V I N C I A L I S S C A B I N A T V S
A T Q V E C O L L E G I I I V R E C O N S V L T O .

R V M A S S E S S O R E

D I E I V . A P R I L . A . S . R . C I C C I C L X X V .

H . L . Q . S .

P V B L I C A D I S C E P T A T I O N E T V E B I T V R

C H R I S T I A N . L V C A S C R A N A C H

B V D I S S A - L V S A T V S .

V I T E M B E R G A E

E X O F F I C I N A G E R D E S I A N A .

